B. N. C.
FIRENZE
1035
25

MISCELLANEE
R. BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE DI FIRENZE
1035
25
XXXV
25
1035 · 25

VIII
LOMBAR
1.003

VIII

LOMBARD

1035.25

ORATIO
DE STVDIORVM AMICIS RETINENDIS

HORATII LOMBARDELLII
SENENSIS,
Humanarum Diſciplinarum
in Patrio Gymnaſio Profeſſoris,

AD

PERILL. ET REVERENDISS.
D. D. OCTAVIVM SARRACENVM,
Epiſcopum Suanenſem.

SENIS, APVD LVCAM BONETTVM,
MDCVII.
Superiorum permiſſu.



PERILLVSTRI, AC REVER.MO D. D. OCTAVIO SARRACENO, EPISCOPO SVANENSI,

HORATIVS LOMBARDELLIVS FELICIT.

QVOD *Orationem meam de Studiorum Hoſtibus arcendis (Perilluſtris, ac Reuerendiſs: Antiſtes) magnopere probaſti; nobis, vt hanc de Studiorum Amicis retinendis, a me habitam, tibi dicatam, offerremus,*

animos addidiſti. Utinam & multas, & raras virtutes tuas, vt admiror, ſic planè honorare poſſem. veruntamen quidquid hoc eſt munuſculi, & obſeruantiæ in te meæ, & charitatis in me tuæ, qualecunq; aut monumentum extabit, aut certè teſtimonium circunferetur. Voueo tibi vitam & felicem, & diuturnam; quô pergas, vt, multos iam annos, facis, rem Chriſtianam prouehere.

D. Senis, anni, a VIRGINIS partu, CIↃ. IↃ. CVII. nonis Nouemb.

ORATIO
DE STVDIORVM AMICIS RETINENDIS
HORATII LOMBARDELLII,
Quam SENIS *habuit in Diui* DOMINICI *Templo, cui titulus a Campo Regio, nonis Nouembris 1607.*

DVOS abhinc annos [AVGVSTA CORONA] quum ex hoc ipſo loco de Studiorum Hoſtibus arcendis egiſſem; plauſu exceptus fui quodam, plures conſecutæ gratulationes: quòd Auditor vel argumento, vel tractatione oblectatus fuiſſet. Inde factum, vt mihi non diutius indagine venandum fuerit, quod, hodierno die, Iuuentuti proponerem; ſperans interim, fieri poſſe, vt æquè omnes inuento non abſimili exhilaremini: ſi modò Philoſophi verum autumant, eòdem rationem pertinere Contrariorum: quòd ſtatui de Studiorum Amicis retinendis ediſſerere.

Non me præterit, quàm ardua petam, quàm penè aduerſa Oratoriæ, quæ Ars è Culice ſolet oſtentare Elephantum; quando in præſenti & rebus deſeruire ſimul, & ornamentis indulgere non perinde licet: ex quo mihi nô copia in dicendo, ſed modus quærendus eſſe videatur.

Ea re vel Profeſsioni minus obſecundare auſim; qui optimè teneam, communia nimis vos aſpernari; & malle, vt multa paucis, quâm pauca multis comprehendantur.

Noſtis igitur, Phyſici Heracliti Epheſij fuiſſe non vſquequaq; ſpernendam opinionem, omnia fieri per litem. Quid proinde mirum, ſi Literarum, ſi Scientiarum Studioſi velitari cogantur? Inanem hic auerſor laborem probandi, quod vnicuiq; veſtrum iam perſuaſit Experientia: nam vltro ſinguli fateremini, a tenera ætate ad hanc vſq; diem, Studijs veſtris nunc Hoſtes quoſdam teterrimos aduerſari, nunc placidiſsimos Amicos fauere conſueuiſſe.

Hos amicos acceſſere, atq; in conſpectum dare, conſilium eſt, vt in rem ſuam Iuuenes, ſi facillimè, ſi feliciſsimè progredi cupiunt, & agnoſcere velint, & detinere ſtudeant.

Inuoco primûm vniuſcuiuſq; Athletam, Sanctum a Deo O. M. datum Cuſtodem; quo aſſlante, ac tuente, nihil inane expetamus, nihil ſectemur noxium; cuncta diſcamus vtilia, cuncta ſalubria ſequamur. non eſt enim futilis Angelorum poteſtas; at pollens, at præſens: vt per Filios Iſraëlis, ex inſidijs Aegyptiorum ereptos, per Lothi fugam, per Danielis, ac Petri carcerem, per Tobiæ iter, per trium Puerorum Fornacem, vel apertiſsimê patet. O nos fortunatos nimium, ſi Dei norimus dona! Quanta, vos obſecro, dignitate per eum affecti ſumus: qui, Spiritus extra omnem aleam nobiliſsimos nobis, omni tum loco, tum tempore, atq; in omni actione, adeſſe, ac proſpicere voluit?

Ponê Religio ſequitur, Matrona, qua nihil aut formoſius, aut auguſtius, aut ſplendidius. aurato ſublimis inuehitur Curru, quem candidi ſex trahunt Equi. proceritate, & maieſtate verenda, placidè ſedet, carbaſeis induta veſtibus. aurea corona redimitam ſpectes, quam precioſiſsimæ gemmæ diſtinguunt; in cuius vertice viſitur literis fulgentibus quatuor Nomen, quod, omni no-

mini præſtans, omnes [illegible] tacito conſenſu Nationes agnoſcût. Arma quædam ſiniſtro pede; prægra[illegible] diſcolorem Globum dextero premit. Siniſtra[illegible] habet applicatam lateri; dextera aureum Sceptrum, à ſuperiore parte trifidum, geſtat; cui [illegible] paſſis alis Columba inſidet; infi[illegible] Serpens, in ipſum collectus, hæret. Quaquâ pro[illegible] nubila fugat; aërem purum efficit, ac ſalubrem; terras fertiles reddit; æquora tranquillat. Agmina, circumuallantia cœlo, Mortalium oculis non admodum ſæpe conſpicua. Currum præcedunt onerata catenis Monſtra, Idololatria, Hæreſis, Diſcordia, Tyrannis, alia mancipia bello ſubacta. Aliquot poſt aureum Crucis Vexillum religioſæ Cohortes antecedunt; innumerabiles autem Peditum, atq; Equitum Acies conſequuntur.

Hæc Imperatrix cum ſapientiſsima, tum potentiſsima quanquam omnia ſalubriter moderatur, quæcunq; in illius Homines agunt; Studia tamen bonarum Artium præcipuo quodam fauore demeretur, promouet, extollit; vnde illis neq; pauca, neq; leuia & ornamenta accedunt, & adiumenta. Quotus igitur quiſq; ita ſtupidus, plumbeus, infelix erit; vt eius non libens expetat amicitiam: cum præſertim vel apud miſerrimum quemq; benignißimè diuerſetur?

Tertium Amicum aſſerimus firmum Corporis Habitum, quo iuuante, Studiorum labores perferre valeamus. cum etenim inter ſtudendum, ſpiritus, cui Medici ab anima nomen indiderunt, aſsiduè hauriatur; vitalis autem confeſtim ſuppetias ferat, atq; ob id & ipſe itidem carpatur: neceſſariò fit, vt naturalis accurrat, eandem cladem paſſurus: atq; ita, quô quis ardentius ſe ſe Studijs addixerit, eô citius atteritur, eô certius abſumitur, niſi ſi bona habitudine polleat.

Quis immedicabilium morborum ſegetem, qui Studentem minus robuſtum diuexant, enumeret? Rem in conſpectu poſitam mitto. Illud aſſeuero; niſi quis, hunc nactus Amicum, & amet, & cautè detineat; eum neq; diu

viuere poſſe, neq; ad Poſteritatem boni quidquam tranſmittere, vnde illum ſentiant vixiſſe. Hoc ſanè miraculi ſpeciem refert, vt quidam ingenij ſui monumenta ediderint, Hominibus profutura, qui aduerſa cum valetudine diutius colluctati fuerunt; vt, priſcis temporibus, Homerus; ætate noſtrorum Patrum, Budæus; paucos ante annos Alexander Picolomineus; proximè Iuſtus Lipſius; hodie Marcus Antonius Bonciarius: tametſi & id veriſsimum puto, ſi hoc blando vſi fuiſſent Amico; & plura fuiſſe relicturos, & meliora.

Porrigit huic dexteram Animus celſus, & erectus; nequid offendat, ne frangatur. vix etenim fieri poſſet, vt ſtudijs Matheſeos addictus Aſtrorum vires, motus, excurſus, & quidem ſub dio pernoctans, exquireret; ſacer Concionator ſudata in veſte ſæpius duraret; Iuriſconſultus, innumeris circunſeptus codicibus, communem contra communem ſcrutaretur; ceteri Studioſi voluptatibus interdiu cunctis abſtinerent, noctu lucubrationum fuliginem biberent: niſi ſi hoc Animi niterentur vigore. is nanq;, dum ſtudia ſtudijs committit, ſcriptionem ſcriptione excipit, deniq; tedium, ac tædij cauſas deuorare iubet; inſuauia iucundiſsima facit. Quidnam, obſecro, quidnam eſſe putatis, quod Studentem, per ſe ſe multoties pauidum, imbecillum, inopem, obſcurum, deſtitutum, aduerſus deſperationem armat? præſens hic Animus; qui probê nouit, eô euaſurum, vnde inanes illorum conatus, qui in Studia inuehuntur, derideat; vbi exantlatis fruatur laboribus; cuncta ſibi opportuna honeſtiſsimè paret; optimos quoſq; adiuuare, peruerſos coërcere queat; vnde poſtmodum, ſuperatis inſidijs, liuore peremptis ignauis, malè mulctatis dæmonibus, ad initium, ad finem ſuum feliciſsimê ſit reuerſurus.

At, nequid iſta excellentia peccet; ne ſibi plus nimio blandiatur: Mentis aduoco Tranquillitatem, quæ omnia ritè conſtituat. Hanc olim ego ſic fermè deſcribebam: Perpulcram Iuuenem; partium congruentia venuſtam; ætati,

ætati, quę Matronam refert, affinem: Delphini tergo inſidentem, cuius capiti ſiniſtram habet applicitam, qua ipſum regat, vndis nequicquam renitentibus. dextera geminam lancem ſuſtinet, in quam intuetur, vario ê metallo hinc globulo, teſſera inde ſpectandam. laurus circum tempora ſerpit. ê collo torques aureus, cui cor criſtallinum oculatum innexum, pectus honeſtat. ê cœlo radij quidam ignei ſupra caput elaboratam emittunt epigraphen, tribus inſignem triſyllabis, Cognosce, Elige, Matvra. Eminet in litore Portus, editiſsima munitus Arce, adiacentibus amœniſsimis hortis, vnde Iucunditatis Domicilium facilê ſubeat. Delphin rectâ côtranat: eô innumeri Mortales proſpectant, ſed rari nantes, Virgini proximi, apparent.

Iam ſextum Amicum tanti facio, vt, ſine eo, ceteris vel ſumma ope, te vt adiuuent, annitentibus, vix promoueri poſſe exiſtimem. Is fidelis eſt Doctor, qui tuum exploret ingenium, pluribus annis moderetur, loco obſecundet: cuius doctrinam, bonitatem, artificium excolas: cui plus, quâm tibi, deferas, credas, fidas: quem veluti Patrem ames, quaſi Principem reuereare, vti Ducem ſecteris: a quo erudiri, educari, expoliri velis. Hic te, merito tuo, in filium accipiat, labentem erigat, errantem increpet, proficientem in gloriam ſuam alat. Ab eo ſtudij rationem petas, conſilium elicias, morum diſciplinam exigas. Apud eum diuerſari & commodo tibi, & honori ducas: ab eius latere, quoad poſsis, & liceat, nunquam diſcedas.

Septimo loco Studendi Ordinem præſtolor: cuius eam eſſe vim ſentio, vt, eo nutante, reliqua penitus collabaſcât. nam quid eſſe cauſæ putemus, vt quidam, ſtudijs, multos annos, operam ſedulam dantes, nec hilum quidem vnquam promoueant? vt a ſtudijs complures ad ſordidas artes delabantur? nimirum, quôd, certis aut ignoratis, aut amiſsis callibus, per deuia tranſuerſi ferebantur; quippe cum, fruſtra ab Ariſtotele moniti, fruſtra ſemper

ſciendi modum, atque ipſam ſcientiam quærerent. Studij Methodus igitur, quaruncunq; Scientiarum Cuſtos, abdita in lucem profert; vnde incipiendum, quâ progrediendum, vbi ſiſtendum, indicat. Hæc ſola, definiendo ne, an partiendo, vel componendo, aut demonſtrando, pergas, commonefacit; a ſingularibus, vel ab vniuerſalibus, a notis, vel ab ignotis, a remotioribus, vel a propinquioribus, auſpicari ſit ſatius, præfinit. Hæc, quando res vocibus, aut verba rebus præponderent, ſtatuit; vnde Fallacia irrepat, vbi Veritas lateat, oſtendit. Hæc eadem, qua ratione Artes Artibus præſint, ſubſint, adhæreant, opem ferant, mutuô reſpondeant, coniungantur, facilê docet; vt, ab incunabulis ad mœrorem funeris, nequid aberres, laudabiliter præſcribit.

Hunc Ordinem aſſectatur Spes præmij, quæ, mirum, quantopere Studij ſectatorem adiuuet. hæc enim ab ingenij, vel memoriæ viribus læſum acuit, ac vegetum reddit; impedimenta cuiuſq; generis amputat; incommoda omnia minuit; induſtriam, ſedulitatem, ſolertiam fouet. Neq; eſt, vt incaſſum mihi nunc quiſquam objiciat, vt, his exulceratis temporibus, præmiorum Spes cum Aſtræa cœlos repetierit. Nuſquam non ſunt Scientiæ ſua præmia: & ſanè obuia exempla, quibus liqueat, ampliſsima ſemper ſtipendia tributa fuiſſe doctis Viris. Num non proximis annis, Torquatum Taſsium, a patrimonio inopem, ſummi Principes, ac Purpurati certatim expetebant? Reges, Pontifices, Reſpp. quoſnam annuis muneribus, dignitatibus, opibus augent? doctos Viros. Quot, obſecro, hîc adſident docti Viri, a FERDINANDO MEDICE honeſtis allecti conditionibus, ad potiores, & magis luculentas paulô mox accerſendi? Sed agitê mittamus, quæſo, & amplos honores, & ſpecioſas opes, & præfulgentes diuitias. Num fortê inueniri maius præmium, quàm illud certiſsimum, quod omnes doctrina non abutentes manet, omnibus Mundi theſauris anteferendum, bona apud Poſteros Fama, beata inter Cœlicolas Vita?

10 Poſtremum præclaræ Indolis Amicus nobis ſe exhibet, Perſeuerantię Inſtitor, qui ab initijs ad finem vſq; prudenter cœpta perducat. Hic optimè nouit, quàm magna, quàm multa bona ſecum afferat: atq; inde Suadere conabitur, non incipere ſatius eſſe, quàm, ſi ijs, quæ occœperis, non inſiſtas. etenim differet, Equos, vel Currus ad metam non peruenire, ſi medio curſu deſiſtant; Naues non contingere Portum, quæ in Syrtibus hæreant, vel ad Scopulos allidantur; Solem non afferre lucem Mortalibus, quando Nubibus ceſſerit; ab Oceano Fluuios non excipi, ſiquâ vorticibus abſorbeantur; Poëtas Parnaſſum vix cernere, ſi non ſalebroſos anfractus ſuperent; Philologiæ, ac Doctrinæ cultores non fieri eximios, vbi leuiora detineant. Ex contrario Perſeuerantia nihil reformidat; omnia experitur; duriſsima quæq; aut emollit, aut obterit, aut diffringit; ardua reſpectat; minas paruipendit; demum pericula, ergaſtula, verbera, tormenta vincere ſe poſſe confidit: quanquam Sapienti Viro, & conſtanti, nihil eſt, vt eiuſmodi mala ominari velim, quæ illum rarô, & non grauiter ſoleant attingere.

En vobis, ſtudioſiſsimi Iuuenes, quos Amicos amare, illicere, ac retinere debeatis. Nam, ſi ſtudendum, ſi proficiendum; Cuſtode vobis opus eſt Angelo, fidiſsimo Achate; Religionis tenenda placita, quæ aberrare non ſinant; Corporis tueri valetudinem oportet, vt aſsiduos labores perferatis. hinc generoſus Animi Spiritus alendus, ne fiatis degeneres; Mentis innitendum Tranquillitati, quô ſint omnia vobis & pacata, & iucunda. fidelem præterea Doctorem colere decet, vnde ſtudendi curſus tum facilior, tum certior fiat; Ad certam ſtudendi Amvssim cuncta exigere eſt neceſſe, vt feliciſsimê collineare poſsitis. Spes præmij quoquo pacto affulgeat, ne animo fathiſcatis; Perſeuerantiæ demum fructus colligite, quos potiſsimûm finis largiri ſolet.

Hæc ſi tenebitis, ſi penitus defixa hærebunt, non quôd ego dico, licet in ſtudia veſtra, quâm qui optimê affectus; verûm propterea, quôd ê Scientiarum fontibus hauſta, ê Sapientiſsimorum Virorum theſauris deprompta offeruntur: D.E.O, Diuis, Principibus, Ciuitatibus, Prouincijs, paribus, ſummis, infimis grati vixeritis; Patriæ, Domui, Generi humano eritis & commodo, & ornamento; vobis autem opes, vires, dignitates, cognatos, nomen, decus, gloriam,

BEATITVDINEM

comparabitis.

Z
1035.25

956793

1835.25

* Angelo Pandimiglio
* restauratore *
825650 * 8274800